

14

DE
AERIS RENOVATIONE
AD
PRAECAVENDOS CVRANDOSQVE
MORBOS EFFICACI

DIVINI NVMINIS AVSPICIIS

ET

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV

P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

D. ANDREA ELIA BUCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRUSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
LEGITIMO MODO IMPETRANDIS,

AD D. VII. OCTOBR. A. S. R. CIO IOCCLV.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PUBLICE DISSERET

AVCTOR

IACOBVS CAROLVS PELLOUTIER
BEROLINENSIS.

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.

AERIS RENOVATIONE
AD
HARACAVANDOS CARAVANASCAE
MOROS ELLICIOI

PIAVINI NUMINIS VATICINIA

CARTOIS MUNICIPALIS ORBIS CONSERVATOR

PER TRISTIDI

PRO INTRATRIBUTISOMA ET TERRITRIALISMO

D' ANDREY ET LE BUCHERON

ACON KOMMI THETRA NODA

GOETHE ODE AEGAEAN REGI A CORDA AN INTIME

MONS ATE PINDOSISCE TAIKARIS NOLAS PAROPOINIKO

TAKE MAMAKI VASTAR CAVESSE LEXENE

LA CHATELIER EAT D'EPINE

PARIS GRADA DOCTOBIS

WIRGUT IN MUNICIPAL HONDRIUS ET SYLVATICIS

THOMAS MODO MUNICIPALIS

MACCHI A ZA A ZA A ZA

IN SINGA ZA A ZA A ZA

TAKE MAMAKI VASTAR CAVESSE LEXENE

MONS ATE PINDOSISCE TAIKARIS NOLAS PAROPOINIKO

TAKE MAMAKI VASTAR CAVESSE LEXENE

LA CHATELIER EAT D'EPINE

PARIS GRADA DOCTOBIS

WIRGUT IN MUNICIPAL HONDRIUS ET SYLVATICIS

THOMAS MODO MUNICIPALIS

MACCHI A ZA A ZA A ZA

IN SINGA ZA A ZA A ZA

TAKE MAMAKI VASTAR CAVESSE LEXENE



Utilitatem necessitatemque re-
novandi aëris in curandis &
praecavendis morbis demon-
straturo mihi ante omnia
videtur expediendum, pri-
mo quid sit aer? tum quo-
modo in corpora, speciatim vero in nostrum, agat?
qualia denique commoda & incommoda varia
eius temperies constitutioque afferat sanitati?
Quippe his praemissis & rite pertraetatis proprius
ad instituti nostri ratione aberimus, planaque con-
ficiemus demonstratione, nihil aequie ad sanitatem
conservandam, amissamque restituendam esse ne-
cessarium, ac ipsam aëris renovationem.

A 2

§. II.

§. II.

Quum vero aëris naturam non omnino plane perspectam expositamque habemus, ideoque in eiusdem descriptione potius, quam definitione subsistere debemus: vitio quoque nobis non versum iri speramus, si, solummodo descripturi aërem, eundem corpus quoddam fluidum, grave, tenuissimum, elasticum, pellucidum, tactu & auditu tantummodo sentiendum, globum nostrum, quem dicunt, terraqueum undiquaque cingens & ambiens declaremus, eiusque gravitatem specificam, cum aquae gravitate comparatam, ut I: 846. a) determinemus.

§. III.

Omnium fluidorum simplicium ac physicorum elementorum mixtionem constructionemq[ue]tne plane nos latere, compositorum vero quorundam particulas, oculo cū nudo, tum armato, detegi posse, cognitae iam pridem est veritatis. Quam ob rem quum aér quoque ad fluida simplicia sit referendus, etiam sequitur, ut minus nobis innotescat. Itaque ne in hypothesib[us] condendis tempus inutiliter teramus, vanamq[ue] in detegenda particularum aërearum figura, vel compositione locemus operam, ulteriores has subtiliores quaestiones Physicorum curae relinquemus; nostri impraesentiarum interesse instituti existimantes, ut de aëris ad vitam

&

a) Vid. WOLFFII *Aerometriam & MVSCHENBROECKII Elementa Physices*, §. 1072.

ad praecavendos curandosque morbos efficaci.

& sanitatem conservandam mutandamue vi atque efficacitatem potius, quam de eius natura generatim differamus. Quae sit ergo aëris in cuiuscunque generis corpora, praecipue vero in nostrum, actio, porro nunc exponemus.

§. IV.

Equidem inficiari non possumus, aëris natum superiori melius innotuisse saeculo, postquam varia hanc in rem instituta experimenta Physici ad aëris naturam applicarunt indagandam. Quibus plurimis & adeo crebro repetitis experimentis, duplice saltem aëris indolem vimque insitam detexerunt, eius nempe gravitatem elasticitatemque. Enimvero minime ambae hae virtutes sufficiunt, ut de natura aëris aliquid certi constituere valeamus. Magnae interim utilitatis fuit hoc inventum, ad varia phænomena, quae tam in omni rerum natura, quam in ipso nostro corpore observantur, explicanda.

§. V.

Ex physicis enim notum est, omnia corpora fluida, quae alia immediate, ut vulgo dicitur, contingunt, hoc ipso quoque contactu in illa agere; cum ex quacunque parte, & quaqua versum elasticitatem suam exferant gravitatemque. Atqui vero aër omnia corpora, si pauca ex regno minerali excepteris, immediate contingit, estque fluidum quoddam elasticum & grave (§. II.): ergo quoque actionem in omnia corpora, pro diversa eorundem structura & indole, exferat, necesse est.

A 3

§. VI.

§. VI.

Aëris in corpora actio est vel superficiaria tantum, vel simul etiam interna. Superficariae subiecta esse omnia, quotquot exstant, corpora, vel ex ipsa, quam supra dedimus (§. II.), appetet definitio ne, ab aëre uniuersum nostrum terrarum orbem undique secus circumflui atque ambiri testante. Atqui vero eiusmodi superficiaria aëris actione minus adisciuntur permutanturque corpora, quae, ob compactiorem indolem, nullum omnino aërem intus admittunt: cuius generis sunt, metalla, vitrum, aliaque, quorum pori particulis aëreis minores sunt. Superficariae vero simul & internae aëris actioni ea subiiciuntur corpora, quae ob pororum amplitudinem aëri liberum transitum permittunt: verbi causa, omnia humectata, quae in primis ad regnum vegetabile & animale pertinent, hacque ratione maiores evidenteresque patiuntur mutatio nes.

§. VII.

Aëris actio praesertim ab elasticitate, fluiditate, & gravitate eius dependet. Namque, ut exemplo illustrem dicta, in plantis aér, has solum ob virtutes insitasque vires, omnis roboris, vigoris & incrementi fons est ac principium, sive subierit easdem per tubulos, ab illustri MALPIGHIO oculo armato detectos, tracheasque aut spiracula dictos, sive per radicum, corticum, foliorumve poros, sive denique aquae adminiculo in internam plantarum penetraverit compagem. Utcunque vero haec se habeant,

ad praecavendos curandosque morbos efficaci.

beant, & quocunque modo aer plantarum ingrediatur tubulos: semper tamen eodem, per vim caloris commoto, fluidae plantarum partes commoventur, vasa expanduntur protendunturque, sucusque nutritui commodus in omnes distribuitur partes, ut inde denique emergat incrementum, nutrientiumque accretio particularum.

§. VIII.

Aerem plantarum incremento adiuvando efficiendoque vel maxime inservire, iam pridem in eximio suo *de motu animalium* tractatu indicavit BORELLVS sequentibus verbis: *In plantis quoque aeris quaedam, imperfecta saltem, respiratio peragitur, a qua earum vita pendet ac conservatur.* Quod ne temere adfirmari existimes, facile sequens efficit experimentum. Eodem tempore ac hora certa quaedam semenis laetucae copia, diversis in locis, altera nempe pars terrae, aeri libero expositae, altera vero terrae, vacuo antliae pneumaticae subiectae, fuit commissa. Praeterlapsis octo diebus prior illa portio ad unius pollicis altitudinem germinavit; posterior vero, quae ne minimum quidem emiserat germen, aere rursus admisso brevi tempore eximum in modum etiam pullulavit.

§. IX.

Atque ex his hactenus disputatis abunde satis apparet, aeris actionem influxumque in plantas, ad ipsarum vitam conservandam incrementumque adiuvandum & promovendum, maxime necessarioque

que requiri. Neque haec disputabimus amplius, quum remotius tantum nostrum attingant institutum. Verum enim vero, quod & eiusdem huius fluidi actio ad conservandam tuendamque animalium vitam absolutae sit necessitatis, tam per ratiocinia rite deducta, quam per ipsa hanc in rem instituta experimenta porro nunc ibo demonstratum.

§. X.

Ordiemur ergo ab iis, quae experientiae debemus. Rana, canis, animal quodlibet, cui antliae pneumaticae ope subtrahitur aëris, vitam citius tardiusue, nullam aliam ob causam, quam ob aëris defectum, amittit. Quodsi enim animali iam iam moribundo sensim aëris reddideris nonnihil, eodem ipso momento denuo excitatur, recolligitque vitam. Unde aperta conficimus consecutione, deficiente aëre, vita quoque animalia privari. Atque eaedem accidunt affectiones homini, in quo spirandi aëris occlusae sunt viac, sive a tumore quodam, glottidis rimam comprimente, quod in angina saepius contingit; sive ab externa quadam causa constringente & strangulante, quo exemplo, qui laqueo suffocantur, excitari possunt; sive denique homo demittatur in locum, ad quem aditu exclusit aëris, verbi causa in aqua submersis, aërisque haustu privatis. Quippe quibus singulis certa est & inevitabilis mors.

§. XI.

Verum enim vero, ut per ratiocinia quoque exigat-

exigamus, aëris usuram ad vitam cuiusvis iam in lumen nati animalis summae esse necessitatis: brevi id e physiologicis conficiemus argumentatione. Quod si enim verum est, ut verum est, sine sanguinis circulatione vitam animalium dari omnino nullam; ipsum vero hunc circulatorium sanguinis motum, suppressa respiratione, etiam sufflaminari: sequitur profecto, ut, quum ipsa respiratio absque aëre subsistere nequeat, vita quoque sine aëre non consistat. Quam ob rem omni quoque iure inter actiones vitaes a Physiologis haustus aëris, sive respiratio, referatur.

§. XII.

Potior itaque & primaria aëris actio in corpus humanum est illa, qua is, in pulmones proprio pondere delatus, eosdem expandit sanguinisque ingressum in arteriae pulmonalis recessus adiuvat, vitalem hunc liquorem refrigerat, & circulationem sanguinis cum vita conservat ac promovet. Duplex vero, ut supra iam monuimus, statuenda est aëris actio in corpus: superficiaria sive exter- na; dein interna, in sanguine inprimis maxime manifesta. Nisi enim aëris in sanguine haerentis actio, quam internam dicimus, cum externa ipsius actio- ne aequilibrium servaret, maximo nostro detrimento ab aëris externi pressione corpus nostrum conte- reretur. Ex physicis enim notum est, pressionem fluidi cuiusdam in corpus tunc demum evadere sensibilem, quum ab una parte eius actio tollitur, aut redditur inaequalis; quod quoque innumeris

B proba-

probatur experimentis. Nemini ergo videtur mirum, quod aëris actionem pressionemque non sentiamus.

§. XIII.

At vero haud exigui momenti quaestio hic proponi solet, de qua etiam nunc inter magni nominis Medicos nondum convenit, quibus nempe viis aér, quem humoribus nostri corporis permixtum deprehendimus, ad eosdem perveniat? Nemo autem temere inficias est iturus, multum aëris cum saliva alimentisque ad chylum & alios humores defiri; quod & ipse iam **HIPPONCRATES** agnovit: *Ciborum, dicens, ingestionē necesse est multum spiritum ingredi; omnia enim, quae eduntur & bibuntur, spiritus inferunt: id quod manifestum est per eructationes, erumpente aère inclusō.* Nec minus per cutis spiracula, per foramina in naribus auribusque occurrentia, aér ad sanguinem pervenire potest; quandoquidem internus non tanta gaudet elasticitate, ut externo aéri aequali resistat nisi.

§. XIV.

Praeter haec vero aëris ad sanguinem itinera, alia adhuc datur via, qua aér ad illum deducitur, per ipsos nempe universos pulmones patens, facilique demonstranda & adserenda negotio, licet ipsam, tanquam innumeris intricatam dubiis, multi illustres & bene de scientia medica meriti viri b)

plane

b) Illustris ceteroquin **HOFFMANNVS** noster hac de re ipse
jibi

plane reiiciendam aestimarint. Quum vero mei non sit instituti, varias auctorum peritissimorum sententias sub examen revocare: satius esse duxi, ea solummodo adferre argumenta, quibus assertum nostrum probari potest confirmarique.

§. XV.

Agmen horum argumentorum ducat illud, quod clarissimus SWAMMERDAMIVS instituit, celebrisque BERGERVS amplius confirmavit, experimentum: utpote quo accurate declaratum est, aërem in pulmonibus cum sanguine misceri. Scilicet aqua tepida, colorata, repetitis vicibus in bronchia pulmonum canis iniecta, membranas tubulorum bronchialium penetravit, & per venam pulmonalem in *sinum Lowerianum* sinistrum, nulla adhibita vi, ne compressis quidem pulmonum lobis, rediit. Porro iniectionibus anatomicis RUY SCHIVS c) materiam ceraceam, per arterias pulmonales adactam, ipsas replevisse vesiculos deprehendit. Praeter ea doctissimus HALES eximiis ostendit experimen-

B 2 tis

sibi non satis constans videretur. Dicit enim in *Pathol. Cap.* III. p. 233. Tum aer humidus & vaporibus repletus per narium & per oris vias, ac per laryngem ad intima pulmonum delatus, vesicularum pulmonalium sè insinuat poris, & cum sanguine hac ratione misceri potest. Postea *Cap. VII. p. 416.* Ut ut respiratione aer ipse per vesiculos pulmonales non admisceatur sanguini, tamen non modo per inspirationem, sed etiam per poros universi corporis &c.

c) In *Catal. rariorum* pag. 134.

tis d), in vitulino pulmone viam ex arteria pulmonali patere in cavum pulmonum aëreum. Apposuit enim exæste tubum vitreum arteriae pulmonali vituli, perque infundibulum huic tubo aquam calidam infudit, simulque follibus, asperae arteriae adaptatis, alternis vicibus pulmones inflavit, experturus, utrum hoc modo aqua ex arteria pulmonali in venas transfret, nec ne? Singulari autem gaudio vidit, aquam, pulmonali arteriae infusam, per asperam arteriam erupisse. Quum autem in dubio versaretur, an forte, disruptis vasis, violenter via aquae fuisset facta; repetitis experimentis, in insigni animalium copia institutis, expertus est omni cautione adhibita, absque ulla vasorum disruptione, aquam ex arteria pulmonali in bronchia esse transgressam.

§. XVI.

Quod si ergo (ut nunc per ratiocinia progediamur,) liquor, aëre multo crassior, ex arteriis in bronchia penetrare potuit, quo magis fluidum aëreum tenuissimum cum sanguine in pulmonum commiscebatur vasis? Porro quoque si consideres, ut ex vivorum animalium dissectione elucet, sanguinem in laevam cordis auriculam non modo redire spumosum, verum etiam coccineo magis colore imbutum; dum ille, qui in arteriis pulmonum continetur, ex atro purpureus appareat: in procli vi erit, iudicare, aërem inspirando adiectum cum in

d) Haemastaticks Exp. XI. p. 73.

in spumam egisse sanguinem, tum eius colorem reddidisse dilutiorem. Ad haec etiam attendas velim, quanta vaporum copia quavis exspiratione cum aëre e pulmonibus regrediat, itemque quod Phthisis solo halitu saepe fuerit contagiosa: neque dubitabis amplius, quin aér in pulmonibus cum sanguine mediate, ut vulgo dicitur, misceatur.

§. XVII.

Quibus vero hoc fieri possit rationibus, porro nunc desiniemus. Commodissimam viam vasa praebent absorbentia pulmonalium vesicularum, quae VIEUSSENIVS primus descripsit. Haec enim si concesseris, ut concedi omnino debent: sequitur hinc, ut, quoniam in inspiratione vesiculae pulmonum distenduntur, orificia vasorum exhalantium vel excretoriorum, a celeberrimo RUY SCHIO primum detectorum, minus compressa, subtili exspirandae materiae, hoc est, humori bronchiali, a sanguine arteriae pulmonalis secreto, transitum permittant liberiorem; contra ea vero in exspiratione, iisdem arctius compressis constrictisque, pars quedam humoris bronchialis una cum aëre crastō, e pulmonibus erumpente, emittatur, parsque alia in orificia vasorum absorbentium, una cum novo, quo imprægnata fuit, aëre, ingrediatur, in vasa lymphatica exindeque ad sanguinem transitura. Per vesiculos itaque pulmonum, vasaque bronchialia exhalantia, quavis exspiratione aliqua aëris portio, iam in sanguine contenti, egreditur; atque e-

B 3

contra-

contrario per easdem vias & vasa absorbentia novus aër, tentui, a quo absorptus est, humore involutus, ad sanguinem transfertur.

§. XVIII.

Quae exspiratur, materia, teste antlia pneumatica, multo aëre abundat. Quod ut facilius explicatiusque constet, satis effecerunt accurata clarissimi HALESI experimenta, magnam aëris inspirati partem in pulmonibus absorberi, in iisque elasticitate quodammodo privari, testantis. Quae ut paullo accuratius exponerem longiusque persequerer, & utile mihi visum est, & necessarium; quod infra faciliori hinc expediri poterit negotio, quomodo, per solam interdum inspirationem aëris, contagia corpori illabi possint.

§. XIX.

Aër itaque ad sanguinem pervenit & cum eo connubium init, non tantum ope salivae, alimentorum, cutis spiraculorum, foraminum in naribus auribusque occurrentium, verum etiam respirationis. In pulmonibus quoque aër, elasticitate & gravitate sua, sanguinis per hoc viscus transitum adiuvat, eundemque, auriculae anterioris, ut & ventriculi dextri cordis contractione, refrigerat aestuantem. Praeter haec quoque externa aëris actio nimiam interni expansionem coercet ac reprimit: contra ea vero internus aër virtute sua expandente externae aëris pressioni resistit, & solidorum motus, itemque fe- & excretiones adiuvat excitatque. Quae aëris inter-

interni vis & actio manifeste patet, si, verbi causa, rana vacuo antliae pneumaticae supponitur: quippe cuius vas a hinc maxime intumescunt, ob sublatum aeris externi renisum. Ob vasorum itaque nimiam expansionem eorundem constrictio impeditur, & animal, pulmonibus ab aere non amplius dilatis, sufflaminata simul sanguinis circulatione, vitam amittit.

§. XX.

Summae itaque non solum, ut ante vidimus, est necessitatis, ut, qui vita frui velit, aere quoque libere fruatur: sed interest quoque ad illaefam fervandam vitam, ut aer, ratione in ipso contentorum natantiumque corporum, iustae sit temperiei gravitatisque. Saepe vero numero a bona hac indole adeo deflecit, ut cum vel nimis levis, rarefactus, subtilisque, vel nimium crassus; tum vel calidior, vel frigidior; tum vel siccior, vel humidior; tum denique partibus diversi generis, quas heterogenae dicunt, vaporibus sulphureis, putridis, salinis causticis, &c. repletus deprehendatur. Quae singula diversa aeris vitia satis infensam ac foecundam morborum prolem cohortemque proferre solent.

§. XXI.

Instituti autem refert nostri, ut per partes eas, & qualiacunque haec aeris vitia singulatim recenseamus. Primum quidem aer nimis crassus suffocationis infert periculum; si quidem omnes canales, ut & humores, praesertim in pulmonibus conten-

contentos, comprimit, adeoque cordis actioni nimis officit, eamque infringit: unde fit, ut obice sanguini, in circulum abeunti, posito, omnium quoque humorum motus generatim sufflaminetur. Contra levis, nimisque subtilis & rarefactus aër, ob immunitam pressionem actionemque externam, vasorum dilatationem, praecordiorumque summas anxietates inducit, & humores omnes ita saepius rarefacit, ut haud raro sanguinis per os naresque eruptiones subsequantur.

§. XXII.

Frigidus aër partim, dum fibras solidas contrahit porosque constringit, excretionem, per cutis meatus absoluendam, impedit; partim, effeta fluidorum condensatione, congestiones, obstrunctiones, & infensissima plurima, quae hinc sequuntur, mala creat. Cuius rei exemplum praebent pulmones constricti & pleura; isti quidem a coarctatis va sculis, sanguineque coagulato ac condensato, peripneumonicum, haec vero pleuriticum incendium suscipientes. Nimis vero aestuantis aëris externi magna vis est in internum aërem; utpote quem, & ipsa, quibus una cum fluidis continetur, vasa vehementer extendit, humorumque motus reddit celestiores; quo facto subtiliores, liquidiores & volatiliores sanguinis partes avolant, adeoque cuiuscunque generis fluida, quae nostro insunt corpori, spissiflora evadunt, & in massas quasi irresolubiles conguntur. Neque minus solida, sufficiente destituta liqui-

liquido nerveo, quod a massa humorum velut excocta ac spissata tenacique non amplius fecerni potest, debilitantur, elasticitatemque amittunt. Unde in morbis, ab humorum inflammatoria spissitudine oriundis, angue peius fugiendos esse fervorem aestumque aëris, sana docet praxis.

§. XXIII.

Ab aëre vero humido elater fibrarum, motuum omnium fulcrum, imminuitur atque relaxatur. Quod si in pulmonibus acciderit, funesta fere insequitur functionum vitalium laesio, nempe circulatio lenta languensque redditur, insolita omnibus membris laffitudo gravitasque incumbit, mentisque torpor, immo stupor accedit. Ad haec aestus si humidi aëris fuerit comes, ob duplex hoc aëris vitium maius quoque in corpus malum redundat. Spissatis enim ab aestu humoribus, destructoque simul per humidam aëris indolem vasorum fibrarumque elatere, cita & subitanea humorum efficitur putrefactio. Nullam itaque magis noxiā dixerim aëris constitutionem, quam calidam humidamque: quae enim ab humido simulque frigido generari solent aëre, stagnationes serofæ, facilius tolluntur.

§. XXIV.

Enimvero ad varias quoque illas diversi generis moleculas, quae aëri illabuntur, eundemque impurum reddit, attendere oportet Medicum, de aegrotantium salute curiosum. Rechte enim ab opti-

C mis

mis cuiusvis aetatis Philosophis aér *η πνευματικός*, hoc est omnium rerum seminarium fuit existimatus: quum in poros suos omnium corporum particulas, calore resolutas exhalatasque recipiat. Aërem ergo hic consideramus, non simplicem illum atque purum, & inter elementa referendum, sed impurum illud fluidum heterogeneum, variorumque receptaculum effluviorum. Quis enim non novit, ipso illo, qui ex omni nos ambit circumfluitque, aere contineri particulas aquae, salinas volatiles, saepius causticas, & sulphureas, itemque vapores metallicos, arsenicales, nec non putridos, ex cadaveribus animalium, aquisve stagnantibus, elevatos. Varias inde ob causas aëris mutatur temperies, ut pote a locorum situ, soli natura, maris, lacuumque vicinitate, fodinis metallicis, anni temporibus, aliisque adventitiis causis dependens.

§. XXV.

Frequentius quoque, ac vulgo existimatur, aëris infecti atque maligni causam esse animalcula minima, corpori, sive viva, sive mortua fuerint applicata, maxime noxia, compluribus Medicorum & Physicorum observationibus luculentissime est declaratum. Neque vero huiusmodi aëris depravatio semper ab animalculis aut effluviis noxiis, eo ipso in loco, ubi strages editur, genitis atque exhalatis, oritur: verum etiam saepenumero a remotissimis locis, ut experientia docuit, ad alia ventorum ope delata & passim propagata est deprehensa. Testatur

statur id famosa satisque decantata Attica pestis, quae, ut THVCYDIDES, & LVCRETIVS referunt, ex Aethiopia usque ad Athenas pervenit. Testantur idem hodiernae observationes, ab auctoribus, qui de peste commentati sunt, commemoratae.

§. XXVI.

Facta itaque ambientis aëris, quo nostra alia-que cinguntur corpora, muratione, mutatio quoque corpori cum fano, tum aegroto, habita simul roboris viriumque eius ratione, accidat, necesse est. Nam, si aliqua laba aër fuerit infectus, idem vitium cum humoribus quoque nostris communicabitur, & eadem, qua aër laborat, contaminabuntur impuritate. Magnam ergo aëris in corpora nostra vim statuere nos oportet. Quicquid enim e corporibüs exhalatur, ut iam diximus, in aëra fertur, & pro di-verso ventorum afflatu, montium sylvarumque na-tura & vario situ, plantarum indole, &c. varia quo-que aërem imbuīt natura. Verum enim vero quum eiusmodi aëris, inquinamentis infecti, inevitabilis omnino atque necessaria sit usurpatio, idemque aër respiratione indesinenter hauriatur, salivae commi-sceatur, indeque ad ventriculum delatus cum san-guine intimum ineat connubium: humorum de-pravatione facile instabilem atque variam hominum valetudinem producit.

§. XXVII.

Omni itaque iure Pathologi morborum tam epidemiorum, quam endemiorum causam ad aë-

C 2

rem

rem retulerunt, ipsum iam **HIPPONATEM** fecuti. Ne mireris ergo, unamquamque regionem, ut privata & singularia commoda & bona, sic & privatos fuos peculiaresque habere morbos, ab aëris depravatione, cuivis loco propria, ortum ducentes. Exempli gratia Baltici maris accolas infestar scorbutus, Anglos rhachitis, plica Polonos. Nequam tamen reiicimus peculiarem sex rerum non-naturalium usum, praecipue vero cibi potusque; quippe qui plurimum quoque ad generationem morborum, a vitiato aëre oriundorum, conferre potest.

§. XXVIII.

Summopere infensa noxiaque est ea aëris inquinatio, quae a vaporibus, cum ex animalium corporibus, tum ex variis eorundem excrementis fecibusque, in clauso quodam loco exspiratis exhalatique, contingit. Per poros enim corporis, ut & alios excretionibus perficiendis dicatos meatus, immo per ipsam exspirationem, continuo eius generis emituntur fordes, quae, si retentae in corpore manfissent, diathesin produxisserent morbosam. Porro aër, qui exspiratur, saepe iusta deprehenditur elasticitate privatus. Qum autem ad respirationem rite peragendam aër perfecte elasticus requiratur: prono sequitur alveo, ut aër, insigni quadam elasticitatis suae parte orbatus, ad respirationem minime sit idoneus conveniensque. Quod urinatorum exemplo manifeste probari potest, qui per breve solum tempus sub campana urinatoria, aquis immersi,

subsi-

subsistere possunt. Sic etiam partes salinae, sulphureae oleofaeque, salutari naturae molimine e corpore per diaphoresin emissae & ab aëre absorptae, rursus respiratione, saliva, aliisque corporis poris, ita affatim saepius hauriuntur, ut humores nostri partibus illis superfluis, immo noxiis, amplius liberari non possint.

§. XXIX.

Ex his ergo singulis aëris vitiis innumeri pululaturi sunt morbi; quo nomine respirationis qualiscunque laesio, summa humorum dyscrasia, solidorum debilitatio, virium deiection & omnia ab his affectionibus effecta atque adventitia mala, presso plenumque pede supervenientia, exspectari possunt. Quae quum unico remedio, eoque facile obtinendo, praecaveri & præverti possint, renovatione nimirum aëris: Medici ad hanc, si opus fuerit, rite & commode obtinendam, varia & eximia instituerunt experimenta; quae singula infra fusius atque curatius explicabuntur.

§. XXX.

Duplici autem modo renovationem aëris fieri posse, haud obscurum esse arbitramur. Namque aut aër ex quodam loco, ubi continebatur impurus, expellitur, novusque denuo, isque purus admittitur: aut vapores aëris solum, vel aliae heterogeneae noxiae & ingratae partes, ab aliis exhalationibus, arte excitatis virtuteque contrariis, ita corrigitur, ut, absque ulla noui aëris successione, eius-

C 3

dem

dem indoles emendetur, novaque particularum sua-
rum mixtione in meliorem reducatur statum.

§. XXXI.

Nostrarum ergo erit partium, examinare pri-
mo, qua ratione renovationem aëris instituere, ea-
demque morbos praecavere possimus. Scilicet ori-
undi ab aëris crassitie, ingentique vaporum cumulo,
morbi solo praevertuntur igne, qui aërem rare-
facit atque disspellit, & quo, ad fluidum aëreum re-
novandum, nihil efficacius habemus. Nimia contra
subtilitas aut rarefactio aëris variis vaporibus, in aë-
rem immissis, potest emendari. Neque adeo diffi-
cile est iudicatu, qua ratione aër frigidior sit reno-
vandus, ut affectus a constrictione fibrarum, hu-
morumque coagulatione suborientes, praecaveri
possint; quum quotidiano eoque domestico expe-
rimento ignis solus ad hos usus abunde sit compro-
batus. Quo vero nimis aestuans & fervidior aëris
constitutio infringatur, tentanda est eius renovatio
aqua frigida sparsa, plantis floribusque recenter
collectis; verbi gratia, rosis, violis, foliis vitis, laetu-
cae, salicis, sambuci, gratum aëris refrigerium conciliantibus. Nimiam vero humiditatem calor arte
excitatus, nec minus suffumigia, plantis odoratis &
aromaticis instituenda, emendant; quibus fibrae, ab
humido aëre relaxatae & debilitatae, in pristinum
roboris ac elasticitatis statum denuo vindicari pos-
sunt. Ad quos varios diversosque aëris, quomo-
docunque vitiati, renovandi emendandique modos
fi

si attendatur, plurimi, quos tempestatum vicissitudines aliaeque adventitiae causae, aëris temperiem immutantes, inducunt, morbi facile praecaveri poterunt praevetique.

§. XXXII.

Praeter haec autem supra iam vidimus, omnem aërem inclusum, praesertim e corpore animalium exeuntibus vaporibus imbutum, sanitati summe esse noxiun: maxima ergo erit necessitas, adeoque & utilitatis, renovare eundem, ubique prava haec eius indoles observatur; quod plerumque in navibus, fodinis, carceribus, locis subterraneis, aegrotorum cubiculis, nosocomiis, aliisque huius generis locis accidere solet. Per partes ergo ituri, singulatim videbimus, quibus maxime commodis & efficacibus mediis renovatio aëris in his locis sit obtainenda.

§. XXXIII.

Ex Pathologorum praceptis clarum est, si spectemus naves, quod praecipuorum morborum, navigantes infectantium, praesertim Scorbuti, primariae & efficaces sint causae vapores, qui continuo, partim ex aqua, in imis navis partibus ipsaque sentina saepe copiose collecta & putrescente, ut & ex ipsa aqua marina, facilime ad eiusmodi mephitis vergente, partim ex transpiratione exspiratio- neque tot hominum, in arctissimis cubiculis habitantium decubentiumque, in atmosphaericum, quem dicunt, navis aërem adscendent. Colligitur enim

enim aér, his inquinamentis imbutus, in cubiculis receptaculisque navis, ibique vim suam exerit in navigantes. Hinc autem neutquam negamus, diaetam pravam, ad quam huius vitae generis homines rediguntur, nec non exercitii corporis defectum, plurimum ad dirorum horum affectuum conferre generationem. Neque tamen idoneae nobis deflunt rationes, cur cum optimis quibusvis Pathologis primariam illorum causam ab aëre, putridis vaporibus repleto, derivemus. Aëre quippe navis, vaporibus humidis, alcalinis putridisque infecto, cum humores conspurcantur nostri corporis, laudabilisque eorundem crasis viatiatur, & ad corruptionem, qua vitae nihil datur infensius, prona redditur; tum partes solidae sub aëre minus elastico tonum amittunt, laxantur, reboreque, quo omnes functiones rite & iucunde peragi debent, destituuntur. Quibus coniunctim invadentibus malis, curatu maxime arduus morbus, Scorbatus nempe, aliaque plura incommoda generantur.

§. XXXIV.

Summo itaque iure in id incubuerunt celebres Medici, ut convenienter invenirent rationes, quibus impurus navium aér commodissime posset renovari. Vetus enim, idque verissimum est dictum: sublata causa tolli quoque effectum. Fac ergo renovatione aëris eiusdem infectionem arceri atque impediri: & intelliges facile, eiusdem effectus itidem hinc tolli somitemque morbis, ab infecto aëre oriun-

oriundis, praescindi. Simplicissimum itaque, nec omnino spernendum, efficacioribus adhuc ignotis, primo adhibuerunt remedium. Quippe linteis, aceto madefactis, nautarum cibilia, totiusque navis receptacula impleverunt, variis simul suffumigiis, ex ligno Juniperino, succino, aliisque aromatibus, ad aërem navis emendandum institutis. Hoc enim modo, partibus alcalinis, putridis, perspirando & exspirando ex ipsis hominibus ut & aquis stagnantibus emissis, aceto correctis, itemque relaxatione fibrarum per succinum & reliqua nonnihil sublata, quaedam aëris excitabatur renovatio, respirationi aliisque functionibus admodum amica atque fructuosa. Verum enim vero causis, aërem corruptientibus, perpetuo superstitionibus atque praesentibus, denuo brevi spatio post eodem, quo ante correctionem, vitio laborabat aër: quare momentanea tantum atque imperfecta aëris haec dicenda erat renovatio.

§. XXXV.

Alia ergo ineunda erat ratio, qua ex inquinata nave impurus aër prorsus expelleretur, novusque & purus in eiusdem locum restitueretur. Multis saepe in cassum tentatis, tandem celebris ille Theologus Anglus, **HALESIVS**, machinam, huic scopo maxime idoneam, excogitavit e), eiusdemque structuram,

e) Negari tamen non potest, iam ante **HALESIVM** huius generis machinam constructam, navigantiumque usibus aptatam esse ab harum rerum peritissimo quodam Sueco,

D Mar-



ram, ut communis esse posset usus, publico scripto exposuit. Quo facto haud ita multo post Angli, ipsa in omnibus navibus usi, utilitatem eiusdem commoditatemque maximis laudibus extulerunt. Nihil tamen minus nostri non existimamus instituti, huius machinae internam hic describere fabricam: quum iidem ipsi, quos in subiecto huic paginae Scholio excitauiimus, auctores hoc ipso labore se sati superque exsolverunt. Agitata ergo hac machina, aër, in nave contentus, efficaciter educitur, externus vero, proprio pondere, alterius locum occupat, siveque aëri navis inquinato purior magisque elasticus succedit. Neque adeo multum incommodi eius agitatio affert, quum duorum hominum operari, omniq[ue] tempore, si necessaria adhibeatur cautio, in usum vocari possit. Restat tantum hoc unicum, ut in adducendo immittendoque novo aëre curiose attendatur, ne vel ipse malae indolis sit ac temperiei. At quo iure unquam aërem exterum peioris iudicabimus indolis interno navis, effluviis tot hominum rerumque infecto?

§. XXXVI.

Martino TRIEWALD; qui de eadem luculenter differuit ipse in der Schwedischen Academie Abhandlungen aufs Jahr 1744 pag. 254. edit. Germanic, Halefiani vero Ventilatoris descriptio exstat in Transaction. Anglic. Ann. 1741. & in Hamburgischen Magazin, II. Band, I. Stück. Deinde Suttonianus innouxit Ventilator, reliquorum recentissimus; cuius ex anglico sermone versam descriptionem videlicet: Nouvelle Methode pour pomper le mauvais air des Vaisseaux, &c. par Samuel SUTTON. a Paris, 1749. in 8v.

§. XXXVI.

Neque minus in fodinis aër quam plurimum summopere sanitati est infensus atque contrarius; particulis quippe vitriolicis, sulphureis, arsenicalibus, mercurialibus, aliisque corrodentibus & venenatis vaporibus, infectus: adeo, ut metallicarum quoque lampades saepe extinguantur, ipsaque eorundem vita in subitaneam perniciem deficiatur. In fodinis praecipue, quae copiose bismuthum, cobaltum atque vitriolum proferunt, tantae saepe aër deprehenditur malignitatis, ut in iis corporis partibus, quas immediate, ut vulgo dicunt, alluit, conspicuas sanguinis stagnationes fugillationesque producat, sebumque lampadum celerrime coagulet. Ne mireris ergo, tot morbis summe dolorificis, & immensis cruciatibus metallorum fossores torqueri. Colicis enim spasmodicisque doloribus, arthritide enormi, a vaporibus saturninis praefertim orta, ideoque *saturnini morbi* nomen habente, paresi, ceterisque paralyticis affectibus, asthmaticibus convulsivis, tremoribus artuum, & innumeris id genus malis, per maximum plerumque vitae tractum misere cruciantur. Quorum dirorum morborum fons atque origo solus est aër inclusus, mineralibusque scatens inquinamentis.

§. XXXVII.

Quod si ergo subterraneis his in locis, in metallicarum salutem, renovatio aëris susciperetur, omnia supra memorata mala certissime praecaustum

D 2

iri,

iri, haud obscure patet. Quare & ipsi qui fodinarum habent curam, cum machinis quibusdam spiritualibus, per cuniculos, in fundo cum fodinis communicantes, aërem crassum & corruptum explodere, & recentem novumque immittere, tum ignibus accensis, vel explosis tormentis, fodinarum exhalationes simul cum aëre dissipare solent. Quo nomine etiam ipsius supra iam laudati *Ventilatoris frumentosissimus* dicendus est usus, utpote qui efficaciter fodinarum renovat aërem f). Caveant quoque fibi metallurgi, ut & figuli, qui lithargyrii fumo & pulveri, per trituram in auras dissipato, multum expnuntur, ne in clauso loco, fumo & pulvere illo lethifero repleto, suos peragant labores. Aperiant saltem fenestras, ignemque in camino accendant, sique aëris fumique metallici ventilationem circulationemque adiuvent: ut adeo, renovato saepius aëre, ab insigni pessimorum malorum cohorte serventur immunes.

§. XXXVIII.

Neque raro in carceribus aër summopere esse solet inquinatus. Nulla enim, vel saltem minima, orificia, quibus novus ingredi posset aër, relinquuntur. Praeter ea quoque radii solares aditu arcen-
tur: unde eo minus humidus corrigitur aër, quo magis hi plerumque subterranei loci vappidis humi-

f) Videſis in *Schwediſchen Abhandlungen* locum supra citatum: quo Suecus Ventilatoris auctor de eximio eiusdem in fodinis usu luculenter differit, adhibendique modum amplius demonstrat.

moribus abundare solent, quippe per transpirationem exspirationemque variis aliis excrementitiis emissis vaporibus semper infecti. Quod si ad haec in barathris incarcerati detineantur, qualiacunque haec, quae diximus, mala exasperantur. Corpore enim, aëris intemperie ut & noxia eius indole, debilitato, cacheoticis, hydropici, cacoehymici, oedematosi, asthmaticisque affectus confertim ingruent, qui mala diaeta, exercitiisque corporis defectu, & animi moerore, adhuc magis foventur augenturque. Nisi ergo accensis in camino, si adfuerit, ignibus, apertis fenestris, suffimigis institutis, aut Ventilatore, ab omnibus folidis vaporibus aërem purgaveris, vel integre renovaveris: morbi supra expositi sigillatim aggressuri sunt incarceratos; in posterum non, nisi loci mutatione, levandi, neque si semel inveteraverint, prorsus perfecteque tollendi.

§. XXXIX.

Permagni ergo ad Poliatri munus interest, ut, omnibus considerate expensis examinatisque, ingenue declares: utrum vinculis detentus, absque sanitatis & vitae periculo, in loco, carceri destinato, detineri possit, nec ne? Saepenumero enim huiusmodi a Medico requiritur iudicium, si suspicio adeat, locum vel carcerem aëre inquinato atque impuro maxime esse imbutum. Adeo enim, vel vaporibus humidis putridisque, vel effluviis, e pariete recente calce obducto emissis, aër carceris interdum inficitur, ut brevi temporis intervallo vita eorum, qui

D 3

in

in illum coniecti sunt, in summum, immo supremum adducatur discrimen. Plures vero ob causas aëris renovatio in carceribus est perquam difficilis, & fere semper negligitur; unde fit quoque, ut morbis chronicis incarcerati plerumque laborent, vitamque trahant miseram languidamque, & prava diaeta animique aegritudinibus in dies magis magisque enervatam. In omnibus ergo subterraneis locis aër, nisi ventilari potest, summopere est noxius, iisque, qui talia ingrediuntur, subitaneam saepe mortem, imprudentiae poenam, infert g). Accurata ergo adhibenda est cautio, si subeunda sunt eiusmodi loca, ut aër contentus noxiusque explosis tormentis, vel spiraculis factis, aliisque huius generis rationibus, quas nostra haetenus persecuti sumus commentatione, antea expellatur.

§. XL.

Omnium epidemiorum nec non endemiorum morborum causam Veteres iam in communi aëris vicio, eiusque inquinamentis, posuerunt, neque habent nostrae aetatis Medicorum quemquam hac in re dissentientem. Tametsi enim miasmatis, quod hos fovet morbos, naturam tantum ex effectibus suis cognoscimus, nec ad singulare quoddam acrimonii

g) Plurima quoque, eximie hic facientia, differuit Illustris noster PRAESES in der Abhandlung von der Schaedlichkeit des Koblendampfs, und der besten Art, den hierdurch verursachten Schaden zu verbessern. Videsis Haellische geleherte Anzeigen, No. VI. Ann. 1754.

moniae genus referre valemus: quotidiana tamen docet experientia, humores nostros ad ominosam periculofamque putredinem, universam nostri corporis compagem fatali funestoque modo plerumque dissolventem, exinde reddi proclives. Nimirum tunc temporis in aëre contentum miasma malignum, inspiratione, saliva, itemque cum alimentis continuo haustum, atque in ventriculum, & cum chylo ad sanguinem translatum necessario in omnes humores sentim vim suam exercet illorumque molitur dissolutionem. Avertendi itaque huius mali praecipua ratio in eo consistere videtur, ut fluens in aëre venenum emendetur. Quod licet optimo aëris renovatione obtineretur: facile tamen est iudicatu, nulla arte ambeuntem nos huiusmodi aërem expelli posse, sed solam ventorum opem commodam hic esse atque efficacem. Ipsa enim saepenumero compertum est experientia, septentrionales ventos luem, ob aëris corruptionem diu iam grassantem, uno impetu mitigasse atque abstulisse.

§. XLI.

Videamus ergo, quid valeat Medicus in universo huius generis aëris vitio temperando corrigoendoque. Scilicet ante omnia eiusmodi remedia sunt eligenda, quae fluidi aërei noxiā & periculosam indolem, in epidemīis ac endemīis morbis praesentem, infringant atque enervent. Veteres iam intellexerunt Chemici, ignem omnibus rebus adferre interitum, & cuncta per illum destrui, omnemque

que facultatem semifinalem tolli posse. Quibus rationibus permotum quoque legimus **HIPPOTRATUM**, teste **GALENO**, ignibus per totam urbem accessis, grassantem Athenis fustulisse pestem. Optimo ergo cum successu miasma, in aëre fluctuans, igne existimari potest emendandum. Praeter ea vero quum omnium miasmatum ea sit natura, ut humores nostros ad putredinem disponant: haud obscure exinde sequitur, ut omnia, quae putredini contraria sunt, hic profutura, miasmatisque vim sint debellatura. Plures ad suavissimos aromatum halitus, quibus aëris correctionem impetrarent, configerunt; minus vero efficaci optatoque cum eventu. Ad acida præsertim, tanquam ad sacram anchoram, plurimi se converterunt. Communi enim & veterum, & recentiorum sententia, acetum omni putredini, adeoque & ipsis, in quibus humores ad putredinem degenerant, morbis adversari existimatur. Acetum itaque, itemque nitrum, aqua solutum, & ipsa aqua marina, suo fale foeta, in aegrotantium cubilibus aut dispergi, aut, ut in vapores abeant, in vasis patulis exponi iubentur. Summum quoque contra venena auxilium putatur sulphur, ne suffocationem inferat, cum nitro remiscendum & deflagrandum. A contagio itaque, quoad licet, circumspete sibi cauterus, tæque velut ex Orci faucibus erépturus quilibet, omnia iam supra memorata auxilia, quibus aër infectus efficaciter renovatur, adhibeto; adfluentem semper expulso salivam, ne ipsi forte illapsum miasma malignum una cum ipsa in ventriculum, & hinc ad ipsum vitae deferatur

feratur fontem; alimenta porro assumito, quae grata aciditate putredini resistant, facilisque sint concoctionis, ne forsitan, crudioribus succis in ventriculo residuis, habeat lues, in quo scenam agat suam.

§. XLII.

Porro quoque loca, ubi infecti degunt, venenato & quaquaversus contagium provehente aëre repleta, angue peius fugito, nec e domo egreditor, nisi sole iam ab aliquot horis orto; utpote qui quantulamcunque aëri attulit emendationem. Totam praeterea domum suffimentis, plantis odoratis, lauro, myrto, pino, cupresso, roremarino, replere decet a contagio forsitan sibi cauturum. Forsitan aio. Nam *Isbrandus DIEMERBROEKIVS*, licet omnia haec summa cum cura observasset, semperque fumo tabaci, salivae movendae causa, esset usus, tribus nihilo minus vicibus febre pestilentiali est correptus. Efficacissimam vero & generalem aëri inquinato medellam affert ipsum frigus, arte quodammodo imitabile atque efficiendum, si supra commendata remedia in usum vocentur. Contra ea calor miasmatum vim adauget, omniaque magis ad putredinem disponit: quare omnibus annitendum est viribus, ut cubicula, in quibus ex acuto epidemicoque morbo laborantes decumbunt, semper sint subfrigida atque temperata. Notari quoque meretur, ab aëris corruptionibus nimiisque vicissitudinibus provide custodiendos esse omnes debilis aut facile irritabilis naturae homines, sanguineos, cholericos, itemque gravidas, infantes, &c. utpote qui longe promptius faciliusque,

E quam

quam robusta corpora, immundo corruptoque aëre
adsciuntur.

§. XLIII.

Expositis itaque iis, quae ad demonstrandam aëris
perpetuo renovandi, pravaque indole liberandi, in praecavendis
arcendisque morbis utilitatem necessitatemque
videbantur idonea: venio nunc ad ea argumenta, quae,
quam necessaria aëris sit renovatio ad praesentes iam natosque
morbos tollendos, porro declarabunt. Quanto
enim commodior utiliorque ad sanitatem hominum ruendam aër est purus, simplex, frequentique ventilatione
agitatus ut ante exposuimus: tanto magis illos purissimo
frui oportet aëre, qui, propter male affectum corpus,
ad quaslibet, quae in aëre eveniunt, mutationes praetaliis facilius irritantur, acerbiorique & haud raro illaetabili
doloris commoventur sensu. Dolendum vero est
quam maxime, quod plerumque loca, in quibus aëris puritas
maximo foret emolumento, ea ipsa sint, in quibus
cum facilime corruptitur aër, tum eiusdem vulgo & potissimum
negligitur emendatio. Testimonio funto agrorum cubicula, Xenodochia, aliaque huius generis
publica aedificia: in quibus quae & quanta purioris aëris ratio sit habenda, porro nunc speciatim exponemus.

§. XLIV.

Verum enim vero singulare hic nobis laborum dari
videmus compendium: quandoquidem, quae praecavendis
sufficiunt morbis, remedia, plerumque etiam iisdem
tollendis infervire solent. Atqui haec facile quotidianis
illustrari possunt exemplis. Ad morbos, verbi causa, ve
nereos

nereos adhuc nulla securiora atque efficaciora novimus remedia iisdem ipsis pharmacis, quae, tanquam specifica b), ut vocant, in iis omne sanationis punctum absolvunt: nimurum mercurialia, decocto ligni guaiaci, sassafras, sapparillae, &c. In peste quoque acida omnia ad renovandum aërem, tam praecavendo, quam tollendo diro huic morbo idoneum, adhiberi, satis notum est. Vindicari quoque corpus nostrum a catarrhalibus adfectibus, si ita fuerit tectum atque munitum, ut non interrupta maneat insensibilis transpiratio, vel tiro novit. Atqui vero, iisdem si pressum fuerit corpus, denuo restituta liberiori perspiratione ipsum quoque liberatur. Sed satis sit hoc exemplorum: nos nostro remedio, puro nempe atque libero aëre, ad utrumque & praecavendorum, & tollendorum morborum finem idoneo, verbis nostris amplius fidem faciemus.

§. XLV.

Quod in cubiculis aegrotantium summa semper impuritate atque inquinamentis aëris temperies esse soleat corrupta, iam supra monuimus; & vel exinde manifeste patet, quia sollicito studio plerumque eorundem fenestrae, ianuae, omniaque spiracula clauduntur, ita, ut aëri externo nullus omnino detur accessus. Aër itaque in iis inclusus, dum continuo ab hominibus praesentibus

E 2 aegro-

- b) Quod enim primus descripsitque Petrus KALM, Succus, in den Schwedischen Abhandlungen, aufs Jahr 1750. p. 289. Edit. german. securissimum certissimumque septentrionalium Americanorum in lue venerea remedium, quod in Lobeliae decocto consistit, nondum, quantum ego quidem novi, apud nostrates usu licuit confirmare.

aegrotantibusque inspiratur vicissimque emititur, insig-
gnem elasticitatis suae partem amittit, nec non a vaporis-
bus, ex excrementis aegrotantium plerumque vappidis &
haud raro semiputridis emissis, plane depravatur. Prae-
ter haec quoque in plerisque morbis, salutari naturae mo-
limine atque conatu, e corpore aegroti materia morbi
vel miasma, sub vaporum, aciem visus exsuperantium for-
ma, per cutis poros exhalatur, in aërem dissipatur, eidem-
que inhaeret. Nisi ergo continuo saepiusque qualicun-
que modo aër renovetur, eadem in ipso volitantes mor-
biferae particulae rursus per poros cutis, per pulmones,
salivam, aliasque vias ad humores, ipsumque sanguinem
redeunt, ut adeo corpus illis liberari non possit. Unde,
remanente causa morbosa, omnes quoque persistunt fu-
nesti effectus, morbusque, humoribus magis magisque in-
quinatis, solidisque debilitatis, in peius ruit, & denique
fatali exitu terminatur. Quod praesertim in acutis ob-
servatur morbis, in quibus salutares crises quam pluri-
mum ab aëre impuro turbantur. Nisi ergo aërem reno-
vaveris, in cassum & frustra optimis & laudatissimis re-
mediis ac medicamentis morbi tentabitur curatio, neque
felix exspectari poterit eventus.

§. XLVI.

Itaque ad institutum interest nostrum, ut summa,
qua fieri potest, brevitatem, ne lectoribus nimis incommo-
demus nostris, demonstremus, quae & quam accurata at-
que circumspecta renovandi corrigendique aëris metho-
dus in aegrotantium cubilibus esse debeat. Arque primo
quidem omnium efficacissima aëris renovatio fenestrarum
obtinetur apertione, dummodo debitae observentur cau-
tiones.

tiones. Scilicet admittendus aër externus sit purus, se-
renus, non nimium frigidus, sed a sole, iam ab aliquo ho-
ris orro, particulis humidis, nebulosis, impurisque repur-
gatus. Ad haec quoque, si fieri potest, fenestrae, versus
septentrionem & orientem spectantes, maneant clausae.
Aeger vero tunc temporis exacte vestimentis & stragulis
regatur; plagulae tentoriaque circa eius lectum ducan-
tur, ne forte aura frigida corpus eius, sudore salutari ma-
didum, alluat, porosque constringat. His rite observa-
tis, turo, immo in ipsa hieme, apertis fenestrīs, aër poterit
renovari.

§. XLVII.

At vero hanc aëris renovationem morbi epidemii
endemique respidunt; utpote in quibus ad alia confugi-
endum est auxilia, nempe ad vapores, ex aceto, nitro, sale
marino, ut supra dictum est, emissos, ad suffimigia ex plan-
tis odoratis, aromaticis, ad massas pro fornace vulgo di-
ctas, aliqua, quae in omnibus adhiberi possunt morbis ⁱ⁾.
In febribus quoque inflammatoris sola haec concedi pot-
est aëris correctio. Hae enim neque frigidum aërem com-
mode perferunt, neque calidum; quod ab utroque hu-
mores magis magisque ad stagnationem proclives redi-
duntur. Namque frigus solidas constringit partes flu-
idasque condensat: aestus vero, liquidissimis humorum
partibus dissipatis, reliquas in irresolubilem redigit mas-
sam. Ad hoc accedit, quod, quem calidius sit corpus no-

E 3

strum

ⁱ⁾ Nisi quidem tussis quaedam præsens huiusmodi suffimi-
giis, facile tussienti motum exasperantibus, uti veret. Vi-
deantur hanc in rem monita a novo editore *Schulzianarum*
Praelect. in Dispensatorium Brandenburgicum, p. 321. sq.

strum aëre communi ambiente, calor ipsius ab externo aëre alluente minuatur atque temperetur; qui salutaris effectus cessabit, simul ac externus aët maiori incaluerit aestu, quam corpus nostrum. Si quis ergo unquam, certe in his morbis servandus est modus. Alias enim, si aegrotans iam nimis aestuet, quod semper fere evenit, lectoque coērceatur, & stragulis adeo regatur, ut aëris externi renovati accessus a corpore eius undique arceatur: calor febrilis, deficiente aëris alluentis refrigeratione, sensim augetur sicque ignes ignibus adduntur. Perperam ergo harum febrium, ut & acutarum, curationem molitus est, quisquis aërem non sic mutaverit renovaveritque, ut & frigoris, & caloris iusta sit temperatio. Quae commodissime videtur posse obtineri, si frigida aqua leviter conspersa fuerint pavimenta, & fontibus artificialibus excitatis, herbisque odoriferis recentibus sparsis, v. c. ramis fimbuci florentis, oxyacantha, ulmaria, salvia, maiorana, rosis, &c. aër fuerit emendatus. Hac enim ratione non solum illius nimius temperabitur calor, sed & humidulus inde factus aër, dum superficiem corporis undiquaque aluit, siccitatem, a nimio calore ortam, temperate moderabit. Erit ergo mihi magnus Apollo, cui, febres malignas curaturo, renovatio aëris, tam plantis, acidum perspirantibus, e. g. acetosa, acetosella, laphatho, &c. quam aceto in vapores acto, ipsoque impuro aëre expulso, instituenda curae non fuit, & qui nihil minus tamen felicem morbo attulit medelam. Haud incongrue quoque atmosphaera in his affectibus frustulo camphorae, collo aegrotantis appenso & alligato, emendari potest.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Contra ea vero in serofae indolis febribus tepidus simul, & siccus prodest aér, solo ignis adminiculo facile efficiendus. Ideo quoque febres intermittentes, licet rebelles, verno tempore sua sponte saepius solvuntur. Quem naturae ordinem si imitati fuerimus, sine dubio feliciorem his febribus intentabimus sanationem. Porro quoque cacheēticos, hydropicosque morbos, aëris humitas & frigus exasperat adaugetque. Quam ob rem, talem aëris temperiem nisi sicciam reddideris tepidamque, ad curandos hos morbos ne accedas! At vero facile aéri igne conciliaveris tempore, absumferisque humiditatem lignis aromaticis & resinosis, v. c. ligno aloës, guaiaco, mastichino, iuniperino, cedrino, &c. In spasmoidicis affectibus aér sit tepidus, simulque humidulus: siccus enim & frigidus fibras iam tensas magis magisque distenderet, doloresque redderet vehementiores. Quid? quod in ipsorum quoque vulnerum sanatione aëris habenda est ratio. Anteaquam enim detegatur vulnus quodlibet, utrumque pone testulam, candentes prunas continentem, quibus succini, mastiches, olibani, vel similium suffimiorum tantillum insperge, ut adeo tepida atmosphaera, gratissimo, aromatico & roborante fumo dives, undique detegum circumfluat vulnus. Quod ni feceris, & hoc modo renovaveris aërem, vulnusque aëri libero exposueris, consolidationem, ob vasculorum destrunctionem, ne temere expectes.

§. XLIX.

Restat, vt dicamus paucis, cur & quomodo in nosocomiis aér sit renovandus. Scilicet his in locis aér vari-

pori-

poribus, continuo e corpore aegro tantum, ut & ex illorum excrementis medicamentisque variis exhalantibus, mirum imbuitur in modum. Inde vero accidere solet, ut plerique, quibus qualemque curandorum in his aeribus aegrotorum demandatum est munus, statim ab initio, licet robusti antea fuerint & sani, vexentur morbis, iisque praesertim, qui sensibiliorem natu*r*am, facillime animo linquantur. Praeter haec quoque difficultas, in curatione vulnerum, alias facile sanandorum, animadvertisenda, satis indicat, quanta sit in nosocomiis aëris depravatio atque inquinatio, ceteroquin & ipso solo foetore satis cognoscenda. Nisi ergo cures, ut aëris iste putridus, impurus, elasticitate privatus, renovetur, frustra efficacissimis alioqui remedii morborum curationem aggressurus, & ad tuendam conservandamque sanorum vivacitatem sanitatemque nisurus es. Postremo ergo erit nunc exponendum, qua ratione commodissime hic locorum renovatio aëris sit instituenda.

§. L.

Quum vapores, qui in nosocomiorum conclavebus accumulantur, fere omnes sint volatiles, ut plurimis accuratissimorum Medicorum constitut exemplis: efficitur exinde, ut iidem semper versus superiorem conclave partem eleventur; quam insuper calor insigniter adiuvat elevationem. Quae quum ita sint, haud difficili negotio aëri huic impuro ex cubiculis Xenodochiorum exitus praeberi, novusque & purus immitti potest. Fac enim, fenestras aut foramina sub ipso conclave tegmine esse locata, semperque superiori sua parte aperta: tum aëris calefactus, vaporibus imbutus, versus que

que superiorem conclavis partem elevatus, per patula fenestrarum, orificia egredietur, novusque continuo in eius locum succedet. Singulis ergo momentis aëris contingenter renovatio, accenso igne adhuc magis adiuvanda. Eadem scopo inserviret quoque fornix, in extremitate uniuscuiusque conclavis aedificatus fenestrisque instructus; quod tunc aër semper versus fornicis fenestras allaberetur. Caminus vero prope fornicem foret struendus, ut eo efficacius aër versus hanc partem aliceretur. Quod si vero nosocomium iam structum est, aliae tentandae sunt aëris emendationes. Construantur itaque in singulis conclavibus unus, vel duo camini spatioſi, in quibus sufficiens accendi possit ignis, qui aëris ventilationi viam aperiret. Porro, si tempus serenum est, semel vel bis in die patefiant fenestrae, semper versus septentrionem & orientem spectantes. Si vero tempestas minus sit idonea, suffimenta fiant supra iam commendata. Omnim vero optima methodus renovandi aëris est illa, quae *Ventilatoris* ope fit, iam pridem in nosocomiis Parisiensibus, Londinensisibus, aliquique quotidiano usu confirmata. Plura vero de aëre, in cubiculis aegrotorum & Xenodochiis renovando corrigendoque, nosse desideranti satisfaciet celeberrimus DESAGVILLIERIVS, in *Cursu Physices experimentalis*, Tom. II. p. 665. vbi sat fuse optima renovandi aëris ratio exstat explicata.



F

NOBI-

IN NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE
RESPONDENTI

S. P. D.

P R A E S E S .

Longiores sane has ad TE dedissem litteras, NOBILISSIME CANDIDATE, nisi iusto laudum TVARVM, quas promeritus es apud nos, testimonio TE prosequuturum, amoremque, quo TE amplector, meum scribendo adaequaturum me summae temporis brevitati aliquid dare oportuisset. Neque tamen hoc a me impetrare potui, quin gratae morum TVORVM elegantiae, omnisque honestatis studii, itemque indefessiae, qua medicinam coluisti, diligentiae publicus hic verusque existarem testis. Quos enim in salutari arte feceris progressus, vel me non mente, haec ipsa, quae TE auctore prodit, Dissertatio luculentissime cuius demonstrabit. Quanquam igitur tantum in TE est virtutis atque scientiae, quantum requiritur ad bene feliciterque vivendum: non possum tamen non votis TE prosequi meis, perennemque fortunam & ampliores honorum TIBI apprecari accessiones. Ita perpetuo vives patria, PATRE CELEBER-RIMO SVMMEQVE VENERABILI, doctoribusque dignus TVIS, meoque nunquam excides amore. Vale. Dab. Halae Magdeburg. d. IV. Octobr. MDCCLV.

PRAENOBLISSIMO EXIMIEQVE DOCTO
SVMMORVM HONORVM MEDICORVM
CANDIDATO

S. P. D.

PETRVS IMMANVEL HARTMANN,

MEDICINAE DOCTOR,

ACADEMIAE QVE CAESAREAE NATVR. CVRIOS. SODALIS.

Ego vero, AMICISSIME PELLOUTIER, & amicitiae decessum, & prolixae voluntati erga TE meae, si, publica hac huius dicti solemnitate, calamo, gaudium insigne meum significatur,

turo, temperarem. Cuius enim iam pridem in laboribus anatomicis Berolinensibus indefessam industriam, dexteritatemque omnino singularem tacite admiratus sum, murua quippe nec dum amicitiae tecum sociatus coniunctione: eundem te postea, nostras invisitentem colentemque Musas, eo impensis habui dilexique amicum, & quodammodo sodalem commilitonemque; quo luculentius iam olim conceptam de te praeclaraque ingenii tui indole sententiam confirmasti toties, quotiescunque mihi & conversari tecum, & privatis licuit disputationibus exerceri. Cuinam ergo, artine nostrae, an tibi, hodie accipiendos a te honores gratuler, omnino non liquet: ornas enim, quae te ornat, artem. Quam quum quaevis, ut in proverbio est, terra alat: quo magis te, omni humanitate praeclaraque eruditione ornatissimum civem suum, patria suscipiet, maturos tuos labores amplis numerosisque praemiis affectura. Ita patriae tuae ornamentum, OPTIMORVM PARENTVM ipes atque gaudium, aegrotorum solatium, tuorumque amicorum, in primis mei, hominis quippe tui amantissimi, dulce eris vocaberisque decus, fortunamque habebis perpetuo tibi indulgentem. Vale. Scrib. Halae Magdeburgicae, d. IV. Nonar. Octobr. MDCCLV.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
D O M I N O C A N D I D A T O
AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

G. L. HECK, MED. DOCT.

Prodi prode simul quam digne purpura Te ornet
Prode simul dotes genii, Te stringet Apollo
quam digne genii lauris famaque vehere?
purpura Te stringer famaque vehere sub astra
Te ornet Apollo, vehere sub astra decore perenni.
DIVES & IngenIo genIoqVe InCeDis VbiqVe,
qVae bene ConVenlat, fors qVoqVe DiVes erit.

VIRO

VIRO PRAENOBILISSIMO,
DISSERTATIONIS AVCTORI
DOCTISSIMO,
AMICO SVO OPTIMO,

S. P. D.

IOANNES FRIDERICVS STRVENSEE,
OPPONENTS.

En contraria! Amicus tuus erit publicus tuus adversarius; hostis gratulatur tibi victoriam a se deportandam: ille, qui eniterit falsa monstrare in dissertatione tua, hanc agnoscit specimen eruditionis tuae: ille, qui tibi, pro gradu Doctoris differenti, contrarius erit, honores doctorales tibi faustos & felices adprecatur. Sed nulla inter nos pugna erit vera; ad breve temporis spatium sustinebo adversarii personam, re ipsa autem a partibus tuis stabo, speciem tantummodo habiturus dissentientis. Interim vero occasio iamiam arridet mihi opportuna, de virtutibus tuis, omnibus cognitis, & profectibus tuis in quounque eruditionis genere, praecipue vero in scientia medica adquisitis, multa faciendi verba. Sed nolo modestiae tuae exhibere molestiam; idque eo minus, quam neminem, cui tu innotescis, fugiat, quam egregie tempus academicum collocaveris, quantosque ex auditionibus & meditationibus tuis quotidianis perceperis fructus. Hoc unicum modo mihi in hisce ad te amica manu datis litteris restare videtur, ut tibi, AMICE OPTIME, maximas, quas animo concipere possum, persolvam atque habeam gratias, pro amore & amicitia tua singulari, quibus me non plane indignum hucusque existimasti. Certissime tibi polliceor, me tibi omni tempore deditissimum obstricissimumque nunquam non futurum, nihilque magis in votis semper habiturum, quam ut in gaudium & ornamentum SPLENDIDISSIMAE Tuae FAMILIAE, in salutem & emolummentum multorum aegrotorum atque in incrementum totius scientiae Medicae diu vigeas ac floreas. Vale, meque & posterum amore tuo amplecti perge. Dabam Halae ad Calendas Octobris MDCLV.



Hilg. Med. 765 1755

ULB Halle
002 830 698

3



Sk

Ritual





14

AERIS RENOVATIONE^{DE} AD PRAECAVENDOS CVRANDOSQVE MORBOS EFFICACI

DIVINI NVMINIS AVSPICIIS

ET

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV

P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
LEGITIMO MODO IMPETRANDIS,

AD D. VII. OCTOBR. A. S. R. CIOCCCLV.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLINE DISSERET

AVCTOR

IACOBVS CAROLVS PELLOUTIER
BEROLINENSIS.

HALAE MAGDEBURG. LITTEKIS HENDELIANIS.